suâ, ut solet, mordacius defendit. Serendie Gesnerus rursus graviter in eum invectus, aliquoties den Neuen Ketzer, den Neuen Schwärmer eum appellavit. Ad has turbas sedandas Hunnius mox è comitiis, Administratoris jussu, Witebergam advolavit, idque egit, ut Huberum superintendentiæ cujusdam opimæ spe in Thuringiâ delibutum ex Academiâ honestè ejiceret. Sed senatus et populus ejus loci hominem turbulentum repudiârunt. Weiß etwas gutes an Ihm, solten sie Ihn selber behalten.
Interim rediit Administrator et hominem evocavit ad se, quo consilio, incertum: nisi quod certum videtur, perfidum hunc nebulonem urgere tandem τὴν ἄτην οὐλομένην. Filiolus Tuus salvus huc venit, parentis causâ omnibus commendatissimus. In schola Neustadianâ jam nunc ei locus dari potest. Si Neuhusii eum esse malis, opportunitas expectanda erit. Utroque loco pari sumtu fere, et paribus legibus ac studiis vivitur. Non ergo difficulter, quod vis, impetrabitur. Nostri legati è Comitiis hâc septimanâ expectantur. XVI. Julii Matutina Domina nostra Electorissa partu felici filiolam edidit. Gratias agimus Deo pro his foecundi matrimonii primitiis. Resalutat Te Vir Reverende, D. Kimedoncius. D. Tossanus in acidulis abest. D. Pareus cum Porto, praemissis jam sarcinis ad scholam Bullionéam à nobis properat. Vale, et me, quod facis ama. Saluta ex me D. D. Collegas, inprimis D. Hospinianum et D. Beumlerum. Heidelbergæ 3. Calend: Augusti Anno 1594.

263) D. Petro Hübnero

Salutem!

Opportunè me submonuit D. Nantolus de suo ad vos reditu, ut per eundem tu meas acciperes, à quo tuæ postremæ mihi sunt redditæ, ad quas quia cumulum laudum mearum continebant, consultò non respondi, tacitus vero significationem judicii tui gratam apud me habui, licet omnino ὑπερβολὴν, quam etiam amori tuo in metribui. Deus verò per gloriam et per ignominiam nos salutaria organa misericordiæ suæ porrò faciat. De statu nostro ex Nantolo intelliges. Idibus Martiis conventus fuit quinque principum vicinorum Heilbrunnæ, Electoris nostri: Wirtembergici, Bipontini, Durlaceni et Onolsbacensi. Factum ibi προβούλευμα ad Comitia, et Syncretismus de religione: cui etsi aliquid videatur tribuendum,

tamen haud ita fidendum, ut Elector ipse ad Comitia veniat, quod non ab Imperatore solum saepius nunc est postulatum, sed et à quibusdam hic, ut ajunt, agitur. Prorogata sunt ad calendas Majas. Adversarij magnum quid ex ijs adversus nos exspectant. Sed stabit consilium Domini, à quo pendemus. Hic nigrum spiritum dissensionis misit inter Cadmaeos illos fratres Hunnium et Huberum, quam opportunè! Convocata fuit Synodus nobilium et Theologorum ad componendum dissidium, de cujus exitu non eadem ad nos perscribuntur. Alii motum loco Huberum, alii restitutum volunt. Quicquid sit, etsi odio veritatis Syncretismum fecisse videantur potius in mendacio, quam dare gloriam Deo: tamen cum animi fuerint vehementer exacerbati, et uterque sit pariter ὑπερήφανος, cicatrices vulnerum recrudescent suo tempore. Respondit ad Senatus vestri contraprotestationem, sicut non directè, sed per latus Theologorum cum petat, sed solitis omninò conviciis. Calvino judaizanti ab Hunnio nuper emisso mihique dicato, respondi apologiâ modestâ et solidâ. Sed nescio quid nostris obstet, cur nobis hanc litem non esse attingendam putent. Itaque nunc non prodit. Spero tamen evulgandi veniam, quia res adhuc in Senatu Augusto haeret. Nullum vidisti violentius scriptum: ac metuo, ne in Germanicam linguam conversum graves det turbas. Est omnino breve et multa speciosè dicuntur de Calvini judaicis glossis, non tam in Calvinum, quam in Ecclesias nostras, cui etiam judaismi labem aspergere Diabolus molitur, supra omnes alias calumnias, quibus nos ad vulgus furiosum deformavit foedissimè. In Ungaria mediocres fuerunt nostrorum successus hjemis. Nunc non solum Turcarum, sed et Tartarorum per Poloniam ad Ungaros metuitur gravis irruptio. Itaque in Silesia praesertim magnum esse belli apparatum amici scribunt. Deus sit πρόμαχος noster et retundat aciem barbaricam à cervicibus Ecclesiae. Vale mi frater, et ex me fratres, D. Montanum, D. Hortinum, D. Trogum et coeteros officiosè saluta. Heidelbergae 12. Calend. April. Anno 1594.

Johanni Jacobo Grynaeo Basileensi David Pareus S. 264

Nolim Tibi, Domine ac Frater in Christo reverende, molestus esse; nec tamen sum veritus hujus boni juvenis causa ad te scribere, saltem ut tibi sic innotesceret, vel